

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

EXHIBENS NONNULLA

DE

# SCORBUTO

QUAM

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. ACADEMIAE ELECTORALIS

MOGUNTINAE SCIENTIARVM UTILIVM ASSESSORE

FACULT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADU DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS


DIE OCTOBR. MDCCLV.

H. L. Q. C.

DEFENDET

SAMVEL BENIAMIN SCHOLTZ,

WRATISLAVIA-SILESIVS.



FRANCOFVRTI AD VIADRYM,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,

ACAD. REG. TYPOGR.



DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

FRIBURGUS BRUNNENSI

DE

SCORBUTO

CAUSA

CONSENSU GRACIOSAE FACULTATIS MEDICAE

PUBLICA

IOHANNI TRIEMCO CARTHEVSER

MDCCCLXXII

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI

FRIBURGUS BRUNNENSI


FRIBURGUS BRUNNENSI





DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS.  
EXHIBENS NONNVLLA  
DE  
S C O R B V T O.

---

 Scorbutum in terris nostris, aliisque,  
ad Boream magis, quam Austrum  
vergentibus, sæpissime larvato in-  
cedere habitu, variorumque morborum, quos  
multi, de investiganda prima ægritudinum  
origine, eruendisque veris earundem caus-

A 2

sis

sis parum solliciti, peculiare omnino ac plane distinctos æstimant, frequentissimum existere genitorem, quotidiana quidem experientia abunde docet; at certo simul certius est, eundem practicæ pariter ignorantiaæ asy- lum haud raro constituere, ac sæpe sæpius accusari infontem. Suffragatur mihi THOMAS WILLISIVS, quando scribit a): „Maxima „symptomatum farrago, affectus multiplices „et diversi generis, quique interdum sunt op- „positæ aut contrariæ naturæ, *scorbuto* accen- „sentur: imo si accidens quoddam inusitatum, „nec prius auditum in corpore humano eve- „niat, cum ad aliud certum morbi genus refer- „ri nequit, sine dubio statim illud *scorbaticum* „pronunciamus: adeo hic morbus, quasi mali „nominis et damnati instar, pathemata aliena „luit &c. Notatu quoque dignissima iudico, quæ SYDENHAMIVS de eodem errore pra- ctico proposuit a), nec quisquam, spero, vitio mihi

a) *Tract. de Scorbuto Cap. 1.*

b) *In Oper. Cap. de Rheumatismo p. m. 263.*

mihi vertet, si ista etiam ipsissimis expressero  
 verbis: „Hic enim obiter, sed et libere tamen  
 „dicam, quod licet nullus dubitem, quin *Scor-*  
 „*butus* in his Plagis Borealibus revera invenia-  
 „tur, tamen eum morbum non tam frequen-  
 „tem, quam fert vulgi opinio, occurrere,  
 „persuasum mihi habeo; multos autem ex  
 „iis affectibus (ne plurimos dicam) quorum  
 „nomine *Scorbutum* incusamus, vel morbo-  
 „rum *Fientium*, nondum vero *Factorum*, qui-  
 „que nullum adhuc certum induerunt Ty-  
 „pum, effecta esse; vel etiam infelices *reliqui-*  
 „*as* morbi alicujus nondum penitus devicti, a  
 „quibus sanguis cæterique humores contami-  
 „nantur: Verbi gratia, quibus in corporibus  
 „materia aliqua, *Arthritidi* producendæ apta,  
 „recens generatur, nondum tamen in artus  
 „depluit, varia se ostendent symptomata, quæ  
 „Scorbuti suspicionem facient, donec *Arthri-*  
 „*tis* jam formata, atque actu se exerens, nul-  
 „lum amplius dubitandi locum relinquat.  
 „Neque ignoramus, non pauciora symptoma-

ta, *Scorbutum* mentientia, Podagricos jam a  
 ,,paroxyfmo liberatos infestare; dum fcilicet  
 ,,vel intempeltivus evacuantium ufus, vel  
 ,,ægri affecta ætas, vel alia aliqua caufa natu-  
 ,,ram interpellaverit, quominus materiam  
 ,,omnem Arthriticam in artus exonerare va-  
 ,,luerit. &c. Pluribus adhuc celebrium  
 Scriptorum testimoniis memorata corrobo-  
 rare, multisque inſuper exemplis, ſi ad enar-  
 randos caſus ſpeciales mihi hac vice excur-  
 rere placeret, illuſtrare poſſem facillime;  
 Verum enim vero, cum uberior hujus argu-  
 menti tractatio a ſcopo præſenti aliena ſit,  
 amplius eidem immorari nolo, ſed protinus  
 ad thematis primarii, ad ipſius nempe ſcorbu-  
 ti, diſquiſitionem progrediar, et potiora, circa  
 diagnoſin ejus, ætiologiam, et curationem ſci-  
 tu neceſſaria, breviter exponam.



§. I.

**S**corbutus, præſertim adultior ac dudum ad gradum  
 ſeminentioſorem evectus, tam variis, tam pravis  
 ſymptomatibus ſtipatus deprehenditur, ut ſuffragan-  
 tibus



tibus medicorum præstantissimis, rectius plurium morborum, natura distinctorum, congeries, quam simplex affectio, nuncupandus sit.

§. II.

Præctici igitur sagaciores, ut difficultates, quibus diagnosi hujus morbi premitur, nisi tollant penitus, aliquantulum tamen minuant, tres gradus, ex complicatorum pathematum numero, genio, et atrocitate cognoscendos, constituunt. Sub *primo* nimirum *gradu*, præter febriculam lentam, valde ut plurimum erraticam, quam pulsus celer, parvus et durus, urina nunc pallide, nunc obscure rubra, nunc plane fusca, et phlogoses frequentes produnt, varia gingivarum vitia, earum nempe pruritus, tumor, facillima cruentatio, sugillationes, putredinosam corruptelam cito subeuntes, et acrem foetidamque saniem, sanguine permixtam, effundentes, itemque aphtæ a), erosiones maxil-

a) Notabile discrimen aphtas benignas et scorbuticas intercedit: Benignæ enim, quæ tenellis infantibus, præsertim adhuc lactentibus, maxime familiares sunt, suamque originem solummodo acriori salivæ æscendenti debent, crustas eminentes, subrotundas, lingvæ, palati, buccarum, gingivarum, ac faucium superficiem obsidentes, easque parvas duntaxat, leviusculas, albicantes, uren-

maxillarum, fœtor oris cadaverosus, vacillatio, quin ipse casus dentium, lassitudo totius corporis, et major imprimis vel minor artuum, præsertim crurum, imbecillitas ac gravitas notantur.

## §. III.

Accedente postmodum gradu secundo, accedit ossium crepitus a), accedunt quoque tendinum in cru-

urentes quidem, minime tamen ulcerosæ, sistant, ac rarius paullo ultra faucium limites extenduntur; scorbuticæ ex adverso, quæ majoris plerumque ambitus sunt, colorem flavescens, aut fusco-rubescens, aut lividum, immo fusco-nigricans obtinent, et plus minusve ulcerosæ ac putredinosæ deprehenduntur; hinc longè vehementiorem quoque ardoris ac mortificationis sensum excitant, ac sæpe sæpius ad asperam arteriam, oesophagum, ventriculum et intestina, (quod escharæ imprimis seu crustæ copiosissimæ, cum fæcibus alvinis interdum exclusæ, probant), nunc sensim, nunc celerius, præsertim scorbuto ad altiorem pridem gradum promotum, descendunt, distasque partes mortificatione sua atque ardore tantopere vexant, ut spirandi difficultas, deglutitio difficilis, nausea, prostratio appetitus, anxietates præcordiales, tormina ventris, aliaque symptomata molesta oriuntur. Conf. *Commerc. lit. Norimb. ann. 1737. p. 361. seq.*, itemque THEOPH. BONETI *Med. septentr. P. II. Libr. I. Sect. 2. cap. 5. p. 337.*

a) Ominosus ac plane singularis hic crepitus, qui

cruribus et subinde etiam brachiis, contracturæ rigidissimæ, extensionem motumque articuli affecti magis minusve impediens, et duro semper ac quasi scirrhoso tumore stipatæ. Cutis partium tumidarum ubi vis cœrulea sugillatione fœdatur, et interspersis innumeris tuberculis pustulisve miliaribus obsita conspicitur. Nunquam hi tumores, qui in musculis pariter, præsertim buccarum ac crurum, nascuntur, in suppurationem abeunt, sed magis paulatim magisque, nisi invisibili interdum resolutione intestina tollantur, indurelcunt, et tunc ad mortem usque, si suscepta scilicet

qui sub corporis ac partium motu in articulationibus percipitur, et rarissime vel rectius nunquam, si fortior existat, medelam admittit, in scorbuto graviore a sejunctis epiphysibus oritur, quæ, ab acerrimo humore erosæ, ab ossium summitatibus penitus separantur, adeoque sub motu articulationum cum strepitu colliduntur; quemadmodum hoc anno 1699. Lutetiæ Parisiorum, cum pessima ibidem scorbuti species, pestilentia propemodum instar, stragem ederet, iteratæ cadaverum sectiones, a Dno. POUPARTIO in Nosocomiis susceptæ, clare docuerunt. Vitium hoc tunc temporis non tantum articulationes artuum, sed ipsum quoque sternum occupabat, et sub respiratione proinde cartilagine costarum prorsus sejunctæ debilem pariter strepitum excitabant. Vid. *Memoir. de l'Acad. Roy. des Sciences* anno 1699.

B

cet scorbuti curatio fausto destituatur successu, perdurant.

§. IV.

Contracturis memoratis atque tumoribus dolores porro, maculae et ulcera junguntur. Dolores, arthritica, rheumatica, venerea a) tormina emulantes, nunc mitiores, gravativi, tensivi, vermiculares sunt, nunc atrocissimi pungentes, lancinantes, ardentis, ostocopi, suamque saevitiam non in brachiis solum ac genibus contractis ac tumidis exerceant, sed alias quoque articulationes, aliasque partes, nucham v. g., spinam dorsi, lumbos, coxendicem, femora, malleolos, plantas pedum, manus, ac digitorum extrema, immo ventriculum et intestina invadunt, ac torquent. Maculae latae, quae passim in cute generantur, et in collo, pectore, et musculosis brachiorum, femorum, ac tibiarum partibus frequentius in conspectum prodeunt, colorem sublividum, caeruleo-nigrican-

a) Magna dolorum, pluriumque symptomatum scorbuticorum et venereorum analogia gravibus haud raro erroribus practicis praebet; quare multum omnino interest, ut quisque sibi differentiae criteria, quae minime desunt, quaeque B. GEORG. ERNEST. STAHLIUS in *Dissertatione de Scorbuti et venereae luis diversis signis et medicinis* fusius exposuit, nota reddat.

cantem, purpureum, aut saltim rubrum dilutiorem obtinent. Hæ postremæ, quæ valde ut plurimum pruriginosæ sunt, et identidem evanescunt ac redeunt, serum tenue et acre' transudando emittunt, et, malo ingravescente, sæpe sæpius in ulcera foedissima, carnem circumjectam sensim, et interdum latis cito depascentia, curatu difficillima, degenerant. Subinde etiam partes brachiorum ac crurum carnosæ gravi erysipelate subito corripuntur, nec raro pariter fit, ut inflammationi huic pessima exulceratio succedat.

§. V.

Ingruente tandem *tertio* ac summo scorbuti *gradu*, genuum vacillatio *a)*, et allegatorum symptomatum quamplurima adhuc majora incrementa capiunt,

B 2

gin-

*a)* Insignior genuum vacillatio, cum gressu titubante, ægris, graviori pridem scorbuto laborantibus, admodum familiaris est, et unice a destructo ligamentorum robore et elatere dependet. Observante enim antea laudato *POVPARTIO*, apud multos, quondam epidemica lue scorbutica Lutetiæ extinctos, in articulatione genuum, loco temperatæ ac mucido-oleosæ synoviae, liquor tenuis, subviridis, acerrimus, stagnabat, ligamenta erant, erosa ac corrosa, et ossa, alias contigua, longe ab invicem distabant. Vid. *Memoir. de l' Acad. Royal. des Sciences* l. c.

gingivæ putridæ non minus, quam buccæ mirifice prorsus intumescunt, ac gangrænose evadunt, maxillæ carie corrumpuntur, in palato, faucibus, et ipsa lingua ulcera cacoethica generantur, sitis oritur intensior, adpetitus penitus dejicitur, et hydrops varius, aut phthisis pulmonalis, aut hujus loco tanta dyspnœa sicca supervenit, ut patientes, quemadmodum hoc I. G. HENRICVS KRAMERVS sapissime observavit a), sub motu lenissimo in animi deliquia incidant, et subito nonnunquam inter eundem suffocentur. Depravationes partium internarum, quod addendum censeo, depravationibus partium externarum valde ut plurimum respondent: In extinctis enim, posteaque dissectis glandulæ meseraicæ, pancreas, hepar, lien, aliæque viscera gravissime obstructa, tumida, scirrhusa, et exulcerata reperiantur, immo pulmones ita quandoque cum pericardio, pleura, et diaphragmate concretæ cernuntur, ut respirationi amplius inservire, motumque necessarium subire nequeant b).

## §. VI.

Adductis symptomatibus, quæ primaria ac vera scorbuti ejusdemque vehementiæ discrepantis signa præ-

a) Vid. *Ejurd. Diff. epistolar.*, ut et *Commerc. litt. Norimb. ann. 1738. p. 116.*

b) Vid. *Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences L.c.*

præbent, plura molestissima et ominosa pathemata, minus tamen, quam præcedentia, in hoc morbo diagnostica, addi merentur, largissimi nempe, tandemque penitus colliquativi, sudores nocturni, paralyfes, stupores, tremores, et convulsiones partium, melancholia, somnolentia constans, aut pertinaces ac diurnæ vigiliæ, cephalalgia immanis cum gravi scotomia, susurrus et tinnitus aurium, odontalgia, creberrima sputatio, constrictio gulæ cum deglutitionis difficultate, tussis inanis, hæmoptysis, exorbitantes narium hæmorrhagiæ, tremor et palpitatio cordis, conangustationes pectoris, dolores acutissimi in lateribus, sterno, et maxime circa cartilagine[m] ensiformem, cardialgia, nausea, vomitus, rugitus, frequentes ructus acidi, amari, nidorosi, inflationes hypochondriorum, murmura ventris, colica nunc mitior, ac diuturna, nunc atrocissima convulsiva, dysenteria, diarrhœa fere perpetua, aut hujus loco adstrictio alvi summe refractaria, cum tanta interdum strictura spasmodica, ut anus quasi introrsum trahatur, hæmorrhoides exævalde torminosæ, et hujus commatis sexcenta alia. Notari tamen debet, nunquam hæc ipsa apud unum idemque subjectum conjunctim aut constanter obvia reperiri, sed hæc istos, alia rursus alios ægros scorbuticos longiori aut breviori tortura afficere.

omi

B 3

§. VII.

## §. VII.

Præter magnam partium solidarum atoniam, ut nunc ad ætiologiam progrediar, univèrsalis atque ingens tam sanguinis, quam lymphæ depravatio in hoc morbo observatur, et tanta inprimis eorum muciditas initio adest, ut vascula minora libere amplius subire ac permeare nesciant, sed hinc inde subsistere, et refractarias in visceribus, organis se-et excretoriis, cæterisque partibus corporis quamplurimis obstructions, unde uberrimus postmodum dolorum, tumorum spasmorum, inflammationum, macularum etc. proventus explicari potest, producere cogantur. Copiosissimus ac tenacissimus hic mucus in principio multis quidem recrementis acribus salinis, falsæ, urinossæ, et subinde quoque acidæ naturæ refertus est, nondum tamen manifeste putridus reperitur; malo autem crescente, et ad secundum ac tertium gradum provecto, insignem sub stasi sua diuturna corruptionem putredinosam contrahit, salia mixta indiscriminatim alcallescere, acerrimamque indolem assumere incipiunt, et tota igitur massa mucida sensim in causticum liquamen resolvitur.

## §. VIII.

Ad dicta probanda multa quidem argumenta, ex præmissa morbi historia et aliunde deprompta, facillime



lime adducere possem; verum enim vero, ne circa corroborandam rem claram justo prolixior sim, ulceraduntaxat, sanguinem, vena emissum, et urinam, quæ luculentissima, tam putredinis, quam muciditatis et acrimoniæ documenta suppeditant, dubitantibus consideranda proponam. Ulcera enim semper cacoethica sunt, ac sæpe foetidissima: Sanguis, vena extractus, sero destituitur, ac viscida plerumque, et plane nunquam lardiformi, crusta obducitur, immo tenacissimo muco subinde tantopere scatet, ut majori prope modum jure pituita subflavo-albicans, quam cruor rubicundus, vocari mereatur; et urina denique, cujus color variat, ac modo, ut supra pridem retuli, ad pallide aut saturate rubrum, modo ad rubro-fuscum, aut subfusco-nigricantem accedit, nunc sedimentum copiosum tartareo-mucidum, nunc splendens rutilansque sabulum, matulae parietibus ob eminentem acridinem suam pertinacissime adhærescens, deponit.

§. IX.

Veterum medicorum plerique, et multi pariter neotericorum scorbutum in *frigidum* ac *calidum* distinguunt, et priorem, qui homines, loca maritima, palustria, uliginosa, simulque frigida, incolentes, sæpius corripere creditur, dyscrasie humorum mucido acida, poste-

posteriorem vero, in tractibus humidis calidioribus frequentiore, dyserasiæ mucido-alcalicæ natales suos maxime debere, statuunt. Receptissimam hanc distinctionem ego penitus quidem rejicere nolo, eandem tamen, quum differentem solummodo cacochymicæ gradum concernat, non adeo necessariam esse, arbitror. Nam scorbutus frigidus nihil sane aliud est, nisi scorbutus recentior ac mitior, in quo humores, sicuti dudum in antecedentibus dictum fuit, sola tantum, eaque ingenti, muciditate falso-urinosa (rarius falso-acida) laborant, et a sensibili putredinis labe adhuc immunes inveniuntur; calidus vero appellandus erit, quamprimum manifesta humorum, præsertim subsistentium, corruptio putredinosa supervenit, et salinæ quisquiliæ in universa succorum massa acerrimam naturam alcalico-urinofam nanciscuntur, adeoque complicata febricula lenta erratica, h. e., increfcescens per vices atque decrefcescens, itemque phlogoses et inflammationes notabilia augmenta capiunt. Certo cæteroque certius est, scorbutum frigidum sive salino mucosum in regionibus maritimis atque palustribus calidioribus, nec minus apud nautas, longiora itinera in Indiam suscipientes, celerrime in mucido-putridum seu calidum transire, immo hunc posteriorem per sæpe sub diuturna aeris constitutione humida et calida

lida proutinus, nec antea observato priori, dispositos adoriri, quum mucus, tubulis tenacissime inhærens, præsentibus indicatis similibusque circumstantiis, intra tempus brevissimum, in putrilaginem degenerare soleat.

§. X.

Inducendæ prædictæ partium solidarum atoniæ, sensimque ingenerandæ acri, mucidæ ac putridæ caco-  
chymix multa quidem, ad sex rerum nonnaturalium ac præternaturalium classes spectantia, favent, præ reliquis nihilominus aer humidus, nebulosus, simulque frigidus nimium, aut nimium calidus, vel corporum quoque putrescentium exhalationibus valde inquinatus, nec minus esculenta, concoctu difficilia, nimis salsa, muriatica, rancida, ac putrida a) defectus potus

a) In regionibus quibusdam borealibus, Samojitia v. g., Siberia maritima, Insulis Feroensibus etc., ubi scorbutus valde grassatur, ulcerumque foeditate cancrum ac lepram æmulatur, post intemperiem aeris humidam frigidamque, quæ, transpirationis cutaneæ libertatem sufflaminando, variorum recrementorum adaccumulationi admodum famulatur, alimenta corrupta locum primum inter causas procatarcticas occupant. Incolæ enim, teste BARTHOLINO in *Actis Hassn. ann. 1671. et 1672. Obs. 49.*, victu delectantur semiputrido, et sua inprimis

C

juscu-

tus sufficientis, vita sedentaria, mœror, tristitia, curæ, studia profundiora diu protracta, plus minusve impedita exhalatio cutanea, imminuta aut penitus suppressa excretio sanguinis menstrui et hæmorrhoidalis, hujusque farinæ complura alia in censum causarum procatarticarum veniunt: Nec prætermittendæ etiam sunt sinistre tractatæ febres intermittentes, præsertim epidemicæ et quartanæ autumnales, itemque diarrhœæ critica, stypticorum usu præmature cohibitæ; quippe quæ rebelles ut plurimum viscerum obstructions relinquunt, et propter hanc causam, et vi retentat

juscula pingvedine animalium sapida reddunt, quam ita præparant: Recentem ex animalibus mactatis circumvolutam reponunt, donec nonnihil putrescat, deinde in frustula dissectam, parum liquefcere sinunt, et in massam 36. librarum compingunt, quam in terram paludosam defodiunt, et quo diutius ibidem servatur, ad usus melior evadit. Antiqua si secetur, odorem casei vetustii refert. Quo quis ditior, plus hujus adipis servat, quæ primæ divitiæ fuerunt olim incolarum. Pauperiores, quibus adipis copia deest, defectu ovium, lardum balænarum substituunt, quod, e ventriculo balænæ exsectum, ad focum suspendunt, donec sensim ignis beneficio putrescat et liquefcatur. Piscibus recentibus raro vescuntur, sed siccis et semiputridis, Capita piscium et ovium exponunt angulis ædium, donec putrescant, quibus postea vesci gaudent. etc.

tas copiosas impuritates mucido-acres, corruptelæ humorum scorbuticæ, nisi semper prima, latiora tamen, fundamina ponunt.

§. XI.

Pro durationis ac vehementiæ discrepantiæ prognosîs in hoc morbo admodum variat, idemque nunc facilius, nunc difficilius tollitur, nunc curationem, summo scilicet gradu præsentè, penitus respuit. Facilius nimirum curatur, quando nondum ultra limites primi gradus progressum fecit, et ægri quoque, in vegeta adhuc ætate constituti, congruum diætæ regimen exactè observant: Difficilius ex adverso, quin difficillime, profligatur, si pridem ad secundum gradum exaltatus radices altiores egerit, aut patientes, præsertim jam seniores, præscriptas diætæ regulas spernant, suoque genio libere indulgeant. Quoties eventum fortitur salutarem, blanda ut plurimum diarrhœa, vel fluxu hæmorrhoidali, aut menstruo, vel diuresi, vel copiosa exanthematum purpuratorum eruptione, vel etiam, licet paullo rarius, diaphoresi critica solvitur paullatim, aut tamen minuitur a); irrita autem

C 2

qua-

a) Nonnulli qui Plicæ Polonicæ genesin, non obstante aliorum dissensu ac serâ contradictione, a latente scorbuto deducunt, materiæ peccantis evacuationem in-

cumque medela, in phthisin, uti supra §. 5. dudum indicatum fuit, aut hydropem lentiori progressu degenerat, vel, apoplexia superveniente, aut syncope gravif.

terdum quoque per capillos fieri arbitrantur. Nolo sententiam hanc in præfenti ad examen rigorosum vocare; fateri tamen cogor, hunc morbum, antequam horridum hoc germen in capite extruditur, multa, quoad symptomata, cum scorbuto communia habere. Nam sub prima hujus mali invasione torpores atque dolores artuum, manuum, digitorum, ac pedum oriuntur, qui, occiput, cervicem, scapulas, ac spinam dorsi occupantes, vehementiores evadunt, dictasque partes, per integrum plerumque spatium semestris, nunc majori, nunc minori, cruciatu afficiunt. Adest præterea febricula continua, quasi lentescens, quæ quotidie circa vesperam exacerbatur, nec unquam penitus ante plicæ genesin cessat. Doloribus artuum etc. apud multos multasque patientes tumores in locis variis, curatu difficillimi, itemque contorsiones artuum, spasmi tendinum, contracturæ, ulcera, extraordinaria ungvium in digitis manuum ac pedum crassities, incurvatio, atque scabrities, cum colore flavo ac livido, nec minus exostoses, cum insolita ossium fragilitate, et subinde etiam gibbositas spinæ dorsalis vel statim junguntur, vel sæpius succedunt. Apud alios furfures copiosi in capitis parte capillata nascuntur, et apud alios tumores glandularum strumosi ac scrophulosi generantur, aut varia oculorum vitia, quia ipsa haud raro amavrosi superveniunt.

vissima, aut suffocatione, patientes subito extinguit:  
 „Maxime, I. ALLEN *scribit a)*, observatu dignum est  
 „prognosticon *Sennerti* de scorbuto; respirationis (in-  
 „quit) difficultas et pectoris angustia periculosum est  
 „malum, ob quam si medicus et adstantes suum offi-  
 „cium non faciant, sæpe ægri *Syncope* præter expecta-  
 „tionem intereunt; sin vero fortior natura morbum  
 „diutius tolerare possit, plerumque in *Hydropem* inci-  
 „dunt, præcipue ii, qui purgantibus fortioribus subin-  
 „de uti solent. &c. &c.

§. XII.

Curatio hujus affectus duabus indicationibus  
 generalibus, quarum altera humorum emendationem  
 ac depurationem, altera roboris amissi restitutionem  
 concernit, maxime nititur. Medicamenta igitur, ad  
 obtinendam primam indicationem necessaria, partim  
*evacuantia* sunt, partim *alterantia*. Inter priora tum *le-  
 nia laxantia* et *emetica*, ex pulpa tamarindorum, manna,  
 rhabarbaro, foliis sennæ, tartaro solubili, cremore tar-  
 tari, sale amaro Ebshamensi ac Sedlizeni, radice ipe-  
 cacoanhæ etc. paranda, ac sæpius repetenda, tum *diu-  
 retica* ac *blanda diaphoretica*, quæ specifica insimul al-

C 3

teran-

a) *In Synopsi Medicinæ practicæ Cap. IX. Art. 44.  
 p. m. 322.*

terandi virtute pollent, locum occupant; ad posteriora autem varia, indole non minus, quam operatione distincta, *acria* nimirum, vulgo *antiscorbutica* dicta, ut et *amara*, *balsanica*, et *aromatica*, v. g. rad. ari, pimpinellæ albæ, raphani, armoraciæ, scillæ, iridis Florentinæ, aristolochiæ longæ et rotundæ, gentianæ rubræ, trifolii fibrini, angelicæ, herba cochleariæ, nasturtii hortensis et aquatici, folia, flores et fructus cardaminidi, herba marrubii albi, scordii, trifolii fibrini, hederæ terrestris, flores arnicæ, summitates tenellæ pini et abietis, cortex cascarillæ, Winteranus verus, canella alba, lignum sassafras, guajacum, juniperi, sem. sinapi, cochleariæ, baccæ juniperi, lauri, gummi ammoniacum et similia, sub diversâ tamen forma, quam textura et usus, materiæ medicæ gnaris jam notissimus, determinabunt, usurpata, nec minus ex acidulo balsamicorum classe aqua picis liquidæ *a)* referuntur, immo, iisdem salina pariter alcalia, falsa, sulphurea, sulphureo-alcalia et mercurialia, v. g. tinctura tartari, metallorum, antimonii acris et tartarisata, ess. fuliginis CLAUDERI, aqua calcis vivæ *b)*, sulphur antimonii  
aura-

*a)* Conf. GEORG. BENCKELEY Nachricht von  
Theerwasser.

*b)* In Hollandia aqua hæc, teste BURLETO, non tantum in cachexia, chlorosi, obstructione viscerum et



auratum, morfuli restaurantes KVNCHELII, mercurius dulcis a), flores salis ammoniaci simplices, aliaque familia media, itemque aquæ foteriæ minerales Spadanæ, Schwalbacenses, Egranæ, Pymontanæ etc., quæ egregium persæpe validissimumque auxilium attulerunt, addi merentur.

§. XIII.

Medicamenta hæctenus recensita, quod confestim monendum arbitror, in sic dicto quidem scorbutico frigido, ubi humores, a putredinosa corruptione ad-

hydrope, sed etiam in scorbutico specifica creditur, præfertim, si cum tinctura antimonii aut metallorum ea proportione misceatur, ut mensura una aquæ duas vel tres tincturæ uncias recipiat. Utilissime etiam cum dulci animantium lacte, quod æque, ac emulsiones fructuum ac seminum lactescentium, in scorbutico recentiori præstantissimum est, combinatur. Mixture prior, quod addo, quotidie ad uncias sex, posterior autem ad uncias decem, duodecim, immo sedecim, hauritur.

a) Circa usum mercurii dulcis in scorbutico practici dissentiunt, eumque alii plane nocivum judicant, alii istum opem egregiam ferre contendunt. Quod me attinet, nec horum, nec illorum sententiam simpliciter adprobare aut damnare audeo, sed utrique, sub certa tamen conditione, veri quidquam inesse arbitror. Pro meo enim iudicio in scorbutico frigido mucoso, in quo nullæ adhuc

adhuc immunes, ingenti duntaxat muciditate atque lentore laborant, valde proficua reperiuntur, in calido autem sive putrido promiscue adhiberi nequeunt. Hic ipse enim nulla amplius acria potentiora, nulla aromatica calidiora, nulla denique emetica et cathartica completa patitur, sed, præter *saxantia* et *temperata balsamica*, præcipue *antiputredinosa* atque *refrigerantia acidula*, cujus census sunt serum lactis, succus citri, ac limoniorum, aqua et saccharo temperatus, infusum acetosæ et acetosellæ recentis, cum sero lactis paratum, spiritus salis rite dulcificatus, spiritus aceti, sal acetosellæ, cremor tartari etc., ad sui curationem postulat.

## §. XIV.

Muciditate ac spissitudine humorum aliquantulum emendata, de restituendo partium solidarum robore protinus cogitandum est. Atonia enim perseverante, nulla unquam curatio radicalis speranda est, sed humores nonnihil resoluti, interjecto brevi tempore, ad pristinum vitium rursus relabuntur, ac sensim viscerum corruptiones adsunt, ob eminentem resolvendi et irritandi virtutem conducit, in calido putredinoso autem nocet, et, observatione teste, exulcerationum incrementa promovet.

simulque ipsius putredinis corruptela, funditus postmodum vix aut ne vix extirpanda, depravantur. Necessè itaque est, ut congruis alterantibus activa et adæquata *confortantia* addantur et interponantur: Activa, inquam et adæquata confortantia; nam, licet multa quidem a scriptoribus ad hunc finem obtinendum cum elogiis recenseantur, valde tamen dolendum est, quod paucissimorum effectus, propter refractarium morbi genium, voto et expectationi respondeat. Pro meo iudicio austeriusculo-amara et austeriusculo-balsamica, tum nativa, v. g. cortex Peruvianus, grana chermes, radix caryophyllatæ etc., tum mixtionis beneficio parata, v. g. martialia, terra laponica, rad. tormentillæ, bistortæ, cortices granatorum, aliaque austera potentiora, amaris atque balsamicis, vel subinde etiam acribus decenti quantitate nupta, præstantiora sunt, quum magis leni adstrictione, quam commotione suam operationem absolvunt.

§. XV.

Curacioni internæ, hæctenus brevissime descriptæ, externorum quoque medicaminum applicatione, et exactissimo imprimis regimine diætetico subvenien- dum est. Remedia externa pro urgentium sympto- matum varietate admodum quidem variant, potiora tamen,

612


D

tamen,

tamen, frequentius scilicet in usum trahenda, cum iis, quæ vulgo discutiendi sine in tumoribus et inflammationibus erysipelaceis, vel abstergendi, purificandi ac consolidandi sine in ulceribus sordidis adhiberi solent, conveniunt. Regimen diæticum majoris adhuc momenti est, quum diætâ congrua in hoc morbo plus sæpe, quam pharmacorum farrago, præstet. Congrua autem in genere dicenda erit, quando singula, inter causas procatarcticas nonnaturales relata, sedulo ac quantum fieri potest, vitantur, et ea ex adverso, sive aeris emendationem, sive alimenta, motum corporis animi tranquillitatem etc. spectes, eliguntur, quæ indicationibus curativis conformia sunt, aut vario tam-  
 men modo salutarem medicaminum effectum promovent.

T A N T V M.





**D**ich reizte, Freund! von munt'rer Jugend,  
 Der Weisheit Adel und die Tugend  
 Den ernsten Sinn zur Wissenschaft,  
 Sie zeigte göttlich ihre Schöne,  
 Und zog Dich unter ihre Schöne.  
 Du fühltest ihrer Schönheit Kraft.

**S**o steigt Du, Freund! in heitre Sphären,  
 Wo durch geschickter Aertze Lehren,  
 Dein munterer Fleiß noch iho steigt.  
 Hier hast Du Dir den Palm erzeiget,  
 Der uns aerecht, Dich würdig reizet,  
 Und uns den edlen Vorzug zeigt.

**S**teig nun auf iene Ehrenstufen,  
 Dazu Dich Fleiß und Mühe schufen,  
 Wo Dich Hygea freudig küßt.  
 Sie weiht Dir, ihrem selt'nem Sohne,  
 Mit froher Hand die Lorbeerkrone,  
 Die das Verdienst des Wissens ist.

\* \* \* \* \*  
 Geh nun geschickt in iene Fluren!  
 Verew'ge da des Segens Spuren  
 Von Deiner edlen Wissenschaft!  
 Die Krankheit wünschet schon Dein Wissen,  
 Und Schwachheit fühlet schon Dein Bräusen.  
 Geh, sey ein Schöpfer neuer Kraft.

Johann August Milling,  
 d. G. G. B. aus Cöthen im Anbättrischen.



00 A 6272

f


ULB Halle 3  
002 827 158



TA-OL

Reho ✓







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

EXHIBENS NONNVLLA

DE

# SCORBUTO

QVAM

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE ELECTORALIS

MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM ASSESSORE

FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS


DIE OCTOBR. MDCCLV.

H. L. Q. C.

DEFENDET

SAMVEL BENIAMIN SCHOLTZ,

WRATISLAVIA-SILESIVS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVN,

TYPS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,

ACAD. REG. TYPOGR.

